

O blati tibi sacrifici
 nos semp 2 mima
 Q omnia domine m
 martiri honore de
 tractamus: quibus m
 fidum crecat 2 ga
Oratio de apst m
Complend. O oratio
 preciosa sanguinis
 mine guesimur do
 nofer: ut quod pia
 gerim: certa redem
 piamus. p. **Alia cor**
 quimus omnipotet
 quoru memoriam
 participatione reco
 quos prophedo
Stephani pape et
hinc. Sicutis ut palm
 Eus qui nos
 martiri tui at
 annua solennitate la
 ceo p picius: ut a
 colim: de eius etia

de apostolis. **Collera.**
 Thunctio. **per totum** k yrieleto.
Ad vincula sancti petri offic.
 ista desideria compleantur. p.
 fieri 2 vicia nostra purgent: 2
 huius domine operatione my
 Desunt in meralia. **Lob. Per**
com. Lom.
 rior die dona cocillet. p.
 tatis ad soluat: 2 tunc nobis mite
 rimus: 2 vincula nostre prau
 rum naturalia recedentes offe
 domine quam sanctorum tuo
 deul. **Sect. N** ofia hec quam
 persequitur. **De** Abrahahis
 Descendens ielus. **Mal. Lum**
Euangel.
 Alletua. x. Sicuti aut.
fol. dm. 2 ad. Solioius deus.
Epla. 2 gatus agere debem?
 itantibus habent. **Per** domini
 ab omnibus merentur aduer
 tuoru intercedentibus meritis:
 veniam peccatorum: ut sanctoru
 comitibus: da famulis tuis iuoru
 venendi copiosam mun? **Gre**
 C...

Capitulum
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Capitulum
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

D. 9.

D. 9.

Deus qui scitis tuos abdon **Evangelium**



III

Ad

RVDOLPHVM II.

IMPERATOREM ROM.

pium, fœlicem, victoriosum;

Ad CHRISTIANVM II.

SAXONIAE DVCEM, IMPERII

Rom. Archimarschall. & Septemvirum;

Ad MATHIAM Austriae Archidu-

cem, Sacrae Cæsareae Maiestati Legatum

in bello Turcico;

Gratulatio de victa & recuperata Alba Regali,

scripta in Academia Lipsica à

MATTHAEO DRESSERO.



1 6


0 2.

Impensis IACOBI APPELLII.

8 9

A.

3. d.



ADRIANUS

DE

ADRIANUS

DE

ADRIANUS

DE

ADRIANUS

DE

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.





GRATVLATORIA

O R A T I O.



Es mira est, Imperator RVDOLPHE II, & CHRISTIANE Dux, Elector Illustrissime, quam iam percrebuit, & in ore atq; sermone omnium esse cepit, Albam Regalem, illam urbem vetustate celeberrimam, & natura, operibus, munitio- nibusq; firmissimam, ex ore ac faucibus immanissimorum Turcorum esse ereptam atq; seruatam.

Quod quo admirabilitatem nobis maiorem facit, magisq; contra spem & opinionem Turcorum euenit, hoc iucundius ac lætius nobis accidit, & sensum curamque grati animi vehementius in nobis accendit. Tantam enim victoriam tam repentinam, ac prorsus diuinum in bello successum, tam deniq; admirabilem DEI erga nos clementiam, taciti nullo modo debemus præterire. Recuperata enim Alba Regali, recuperata est bo-

11

G R A T V L A T O R I A

na magnaq; pars eius regni, de quo tantis viribus, tantisq; opibus tot annis dimicatur. Dolebamus superiori anno, vehementerq; angebamur, cum Canisium, frustra obsistente & repugnante Christiano exercitu, in potestatem Turcorum venisset, iacturamq; ingentem, ac multis lacrymis deplorandam nos fecisse existimabamus. Sed non est autor tristitiæ ac acerbitatis noster Deus, verum ita onus imponit nobis, vt nihilominus sit salus nostra, nec mali nobis quicquam euenire finit, ex quo non possit aliquid elicere boni. In eum igitur finem passus est ad tempus grassari Turcos, Christianorumq; in Pannonia vrbes, oppida, liberos & agros occupare, vt gloriosius eos tandem liberaret, & misericordiam, beneficentiamque suam vberius ac fusius declararet. Est enim vsitata vicissitudo indignationis & clementiæ diuinæ, amissionis & recuperationis rerum humanarum, damni & victoriæ, tristitiæ & lætitiæ. Quæ sanè commutatio facit, vt neque nimis moerere, si quid aduersi acciderit, debeamus; neq; insolenter efferri, cum ad nutum voluntatemque nostram aliquid fuit. Quod in bellis etiam vsu venit, vt non semper inferior sit, qui cladem accepit, sed qui vindicare ius suum & recuperare amissa non potest. Discebamus equidem
superi-

O R A T I O.

superiori anno, cum Canisium amittebatur, non modo quanta fortunæ vis esset, quamque dubius martis euentus, sed quantis virib. & opibus annis sequentibus aduersus illum acerrimum hostem opus esset. Huic fortunæ belli, dum tua Maiestas, Imperator, pro sapientia sua admirabili obsecuta est, & maioribus copijs oppugnandum Turcam censuit: factum est id, quod votis summis à DEO precati sumus omnes subditi, vt hoc anno primariam urbem Pannonici regni exercitus Christianus receperit.

De hac ergò victoria læti gratulamur tuæ Maiestati, gratias Deo immortalis agentes iustissimas, quod mentes & manus Christianorum militum ad prælium instruxit, & per eos urbem tantam, ex seruitute atq; Tyrannide Turcorum in libertatem Christianam vindicauit. Quo autem plura concurrunt in hac victoria admiratione & prædicatione omnium nostrum digna: eo plaris ea à nobis fieri debet, & gratiæ ardentiores agenda sunt imprimis Deo, tum tuæ Maiestati, cæterisq; viris principibus, ducibus & militibus, qui sua virtute & sanguine tam præclaram victoriam pepererunt.

Est Alba Regalis Vngariæ inferioris vrbs, sic dicta, quod olim reges Vngarici in ea coronati sunt,

GRATVLATORIA

sunt atq; etiam sepulti. Sita est in loco paludoso, ad Sarvrizam fluuium non procul à Balatone lacu. Condita, Bonfinio autore, à D. Stephano Vngarorum rege, qui circa annum Christi 1002 regnare cepit. Quanquam, si ex opinione aliquid dicere licet, multo vetustior esse videtur, & à D. Stephano Basilica duntaxat aucta: quæ longo interuallo pòst à Matthia Coruino, non modo instaurata, cum vetustatis situ obducta esset, sed amplificata etiam multisq; immunitatibus, priuilegijs & opibus locupletata est.

Vix dici potest, quanto studio, quantisque impensis hanc ipsam Basilicam pientissimi reges ornarint. Quæ luculenta narratione in rebus Vngaricis persecutus est Bonfinius. Hanc urbem Solymannus Turca, anno 1543 à nato Christo, in potestatem suam redegit. Cum enim præter opinionem eius Vngaria acrius à Ferdinando rege defenderetur, exercitu ingenti in eam inuasit Turcicus Tyrannus, & diuisis copijs vna earum parte Strigonium ad Danubij ripam: altera Quinqueecclesias & Albam Regalem expugnauit. Etsi autem deditioem facientibus incolumitatem pollicitus erat: tamen contra fidem datam, matronæ & virgines stupratæ sunt, nonnullæ etiam dissectæ, infantes, senes & clerici in profluentem

O R A T I O.

fluentem abiecti. Quibus verò belli vis pepererat, hi in campum adducti tanquam fidem daturi nouo domino, nihil tale metuentes, à Turcis circumfusi & trucidati sunt : generosioribus adolescentibus & puellis in seruitutem missis. Ab hoc anno 43 in potestate & dominatu superbissimi Tyranni Alba Regalis fuit. Nec spes liberationis ferè vlla hæctenus ostensa fuit, nisi te Imperatore, Rudolphe II, cuius exercitus aliquoties urbem oppugnare maximo conatu cepit, sed fortuna & facultas defuit. Contulerunt ad expugnationem eius consilia & operas heroici duces, Maiestatis tuæ, Eggenbergius, Palfius, Rederus, Nadaustiis, Suartzenbergius & alij, quibus immortalis à nobis debetur gratia. Verum diutiùs aliquanto expugnationem differri voluit Deus, & tuæ Maiestati tamen, nihil ominuseam reseruauit, & commemorabili benignitate concessit. Hanc igitur diuinam bonitatem quibus verbis prædicabimus ? quibus uè laudibus efferemus ? Arma alia ad tegendum, alia ad nocendum capiuntur, inquit Cicero : iustiora verò semper sunt ea, quæ ad propulsandam vim illatam induuntur, quàm quibus innocentes laceffuntur atque violantur. Romæ ineunte monarchia quarta, Antonius quædam nefariè cogitabat ac moliebatur, quibus

G R A T V L A T O R I A

quibus decreta pax & ἀμνηστία, hoc est, obliuio perpetua dissidiorum labefactaretur. Contra hunc igitur arma iusta sumebat Augustus tanquam ἀμυνόμενος, hoc est, lacepsitus iniuria, & diuinitus etiam in prælio adiutus est : quamuis potentia & viribus superior esse Antonius videretur. Carolus Magnus, Desiderium Longobardorum regem bello adortus est, non quidem vt prouocans, sed vt prouocatus ab eo iniurijs. Prius enim bellum mouerat Desiderius in Italia, & vrbes multas occuparat. Itaque in causa iusta vicit eum Carolus, & regno exiit. Quod etiam de tua Maiestate affirmari iure potest, vtpote quæ non lacepsiuit Turcam, sed prouocata illius iniurijs, bellum hoc diuturnum semel susceptum in hodiernum diem vsq; persequitur. Et cum iusta hæc sit, necessariaq; defensio, Turcica verò irruptio non belli legitimi, sed potius latrocinij speciem gerat : in spem magnam adducimur, Deum quoq; exitum tuæ Maiestati, nobisque omnibus optatum salutaremq; esse largiturum. Prouocabaris ad bellum ab Hazano Bassa Bosnensi, qui insana quadam libidine inuadendi aliena inflammatus, arcem Vvihitz in finibus Croatiae, munitissimam expugnabat. Inde progressus Sisseckium hostilissimè oppugnabat, vt eo propugnaculo potitus, trans-

O R A T I O.

transitum sibi in Styriam, Carinthiam & Carnio-
lam patefaceret. Cum igitur ad Croatiae, Vn-
gariaeque; limites loca omnia, caedibus, rapinis, &
flammæ ardore infestarentur: pia ac iusta arma
ad repellendam hostilem incursionem, armo-
rumque; impetum, induisti: & per milites tuos, du-
ce Ruperto Eggenbergio, Sisseckium obsidione
liberasti, Hazonumque; cum 18000 Turcis terro-
res & minas intendentem, fudisti, bonamque; ho-
stium illorum partem in Colapis undas immerfi-
sti. In qua quidem Turcorum strage operam im-
mortali laude dignam nauavit Melchior Rederus
Baro Silesius, qui conspectis in Colapi natantibus
& cum morte luctantibus Turcis, dixit, se spectacu-
lum vidisse pene simile Pharaonici exercitus, qui
in mari rubro collabentibus, ex utraque; parte aquis,
periisset. Qua clade impulsus Amurathes, rupto
foedere, apertum bellum tuæ maiestati indixit, &
cum imperio summo Sinanum Bassam Vezirium
in Vngariam misit. Etsi autem maiestas tua pen-
sionem Tyranno debitam haud denegauit: ta-
men is bellum semel susceptum persecutus est,
& per Beglerbegum Græciæ Sisseckium, Anno
Christi 1593 expugnauit. Sinamus verò Vespri-
num & Palottam in potestatem suam redegit,
contraque; fidem facientibus deditioem datam

B

pro-



GRATVLATORIA

promiscuè in omnes sæuijt, ac Ferdinandum Samariam ex fuga retractum in captiuitatem abduxit, Melchior à Redern contra sexcentos Turcas velitari prælio concidit, Christianosq; multos liberauit. Inde ad obsidendum Albam Regalem exercitus Christianus adductus est, ac tametsi suburbium primum vastatum est, propter Turcos tamen subsidio venientes oppugnatio impedita est: ad manus nihilominus & pugnam ventum est, & de Turcis octo millia cæsi sunt. Victor exercitus Christianus Iaurinum venit, inde ad alia ventum est, ac in superiori Pannonia Fridericus Tiffenbachius Baro Austrius, Fillecum cum pagis soo, expugnauit, vicinaq; castella multa in ditionem accepit. Accidit autem id, quod in bellis vsu venire solet, vt Marte dubio, fortunaque modo in hanc modo in illam partem inclinante, dimicatum sit. Nondum scilicet ille dies illuxerat, quo Christianus exercitus Albam Regalem expugnare debebat: nondum etiam aduenerat illud tempus, quo Hatuanum, quo Strigonium recuperari debuit. Immo irrito conatu multa tentata & cepta sunt, nec pauca interim etiam amissa: Iaurinum in primis, quod in Turcorum ditionem sic deuenerat, vt penè spes recuperandi nulla apparet. Tentabatur quidem recuperatio, sed frustra.

Obfi-

O R A T I O.

Obsidebatur etiam Buda, sed effici nihil poterat. Quin amittebatur etiam cum detrimento summo Agria. At quam mirabilis fuit conuersio fortunæ, vt penè ludo simile, esse videatur bellum, cuius fors non euentu terminatur sed exitu, non auspicio sed fine. Respexit tandem tamen Christianos Dux noster summus ille, cuius numine & ductu bellum & susceptum est initio, & in hunc vsq; diem continuatum, & successum in rebus gerendis benignum præbuit. Nam & Strigonium An. Christi 95. à Christiano exercitu occupatum est, & à Translyuanis Sinanus Bassa in fugam coniectus, vix vitæ periculum effugit. Tum quod omen fati magnum non immerito videbatur, vexillum sacrum, quod loco sacræ anchoræ, siue extremi auxiliij cōtra hostes Turci habebant, amisit. Non multo post etiam Iaurinum admiranda Dei clementia, Svartzenbergij verò & sociorum incredibili solertia receptum est. Nec dissimulanda est VVaradini defensio aduersus impetum & furorem Turcorum, à quibus obsidebatur illud propugnaculum, & premebatur vehementissimè. In qua quidem defensione maximè eminuit fortitudo, & animi excelsitas Melchioris Rederi, qui, Deo duce, comite verò industria, hostiū conatus omnes elisit. Ecce casus, ecce incertos

B 2

exitus

GRATVLATORIA

exitus pugnarum, martemque communem, qui modo hanc modo illam partem, vel percellit vel erigit. Quis non miretur, tantam hominum multitudinem tot annis ad hoc bellum Turcicum ex Vngaria, Germania, Boëmia mitti, & nullam tamen diminutionem aut penuriam hominum militare contra Turcam cupientium deprehendi? Cum ad Viennam adducta esset ingens multitudo hominum ex Germania, anno Christi trigesimo secundo, quando Solymanus ad obsidendam illam urbem redierat: miratus Carolus Quintus tantam germanicæ gentis copiam, educi se ad contemplandum exercitum voluit, & conspicius tantam multitudinem à Palatino principe quaesivit, num totidem alij numero in Germania homines reliqui essent? Responsum est, non deprehendi in Germaniæ urbibus & oppidis ullam diminutionem populi, & posse multo numerosiorem exercitum inde colligi, si necesse sit. At tunc quidem semel copiæ è Germania cõparatæ sunt, hoc verò tempore belli Turcici tam longo, quotannis non pauci Germani, Boëmi, Vngari martis vi perculsi sunt atq; interierunt, & tamen militis copia magna suppetit. Felicitatis hoc est, Cæsar, cuiusdam diuinæ, qua tua maiestas in primis ornatur, vt bellum gerat tam diuturnum, nec tamen miles,

O R A T I O.

miles deficiat, nec exhauriatur aut diminuatur Germanicum imperium. Occubuerunt duces præclari, & immortalī laude decorandi, Eggenbergius, Tiffenbachius, Carolus Mansfeldius, Suartzenbergius, Rederus & alij multo plures, scientia rei militaris, fortitudine, prudentia, & felicitate præstantes, quos, si per fata liceret, ex terræ visceribus erueremus viuos. Sed quid? an non alij identidem diuinitus excitati in locum demortuorum successerunt, & adhuc succedunt? an non hæc continua ducum omni laude cumulandorū successio diuini fauoris & beneuolentiæ in tuam maiestatem, atq; ad eò in nos omnes argumentum est? Contra de Turcis etiam sustulit & enecauit hoc ipsum bellum præstantissimos quosq; Bassas, Begos, Ianizaros & alios militaris rei peritissimos. Ac nisi me opinio fallit, flos militiæ Turcicæ in hoc bello perijt. Quod si attentè magis considerare cum animis nostris volumus, cuiusmodi sit fortuna huius belli, & maiestatis tuæ, reperimus sanè Deum immortalem aliquomodo placatum, propè fata ipsa flexisse, & quod annis compluribus nullo consilio, nullis opibus, nulla vi potuit effici aut obtineri, id hoc anno faustè prospereque esse confectum. Est omnino fatalis Albæ Regalis, ut mihi quidem videtur, recuperatio, quā oportuit

B 3 in

GRATVLATORIA

in hunc ipsum annum cadere, vt maiestas tua, adeoque totus exercitus Christianorum aliquomodo recreatus curarum, laborum, vigiliarum & impensarum quasi præmium aliquod consequeretur, & ad maiores res subeundas tanquam calcari quodam incitaretur. Benè est collocata omnis opera, neque inutiliter factus sumtus, cum merces aliqua contingit, quam desideraris. At labore ingenti constitit. Quid est vspiam magnum, aut prædicatione dignum, quod contentione & sudore non paretur? Arduum erat opus & admiratione omnium posterorum dignum, cum Suartzenbergius & socij Iaurinum è faucibus Turcorum eripiebant. Quod quicumque vel legit vel audit, admiratione penè obstupescit. Similia in hac expugnatione Albæ Regalis non pauca reperiuntur. Consilium in primis fuit arduum, res verò ipsa cum periculo summo coniuncta, sed suscepta tamen & ad exitum notabilem adducta. Solet Deus, cum opitulari vult nobis, etiam tempus agendi nobis opportunum præbere. Et quidem in primis valet oblata diuinitus aggrediendi in bellis occasio. Quod tuæ maiestati hoc anno contigit, serenissime Cæsar. Circumspexisti omnia, intentisq; oculis obseruasti cuncta momenta, neq; vllum prætermisisti tempus

O R A T I O.

pus expediendis conficiendisq; rebus idoneum. Venit tandem annus ille, diu exoptatus atq; desideratus, quo Turcicum regnum intestinis dissensionibus implicatum vexatur, & hostibus tam domesticis quàm externis laborat. Fit autem naturæ quadam vi atq; ordine, vt virtus distracta infirmior sit quàm coniuncta, & quo pluribus negocijs intentus est animus, eo minus ad expediendum singula aptus reddatur. Benè factum, oblata hæc est ad agendum à Deo ipso opportunitas. Satis igitur prouidit tua maiestas, se hoc anno bellum offensuum gesturum esse; cum quidem superioribus magna ex parte defensuum gesserit. Pugnare **D E V S** ipse videtur pro salute nostra, dum hostem illum inuadentem in Vngariam à progressu arcet. Fortunatam verò maiestatem tuam, quæ se ad Dei ductum applicauit, & Albam Regalem aperto Marte aggressa est. Quis non laudet & efferat in suscipiendo solertiam? in agendo celeritatem? an non hoc est celare, dissimulare, insidiari, præripere hostiũ consilia? Dum enim illi sibi persuadent exercitum Christianum rectâ ad oppugnandam Budam esse venturum, is, vt fallat illorum opinionem, de cursu deflectit, & Albam Regalem inuadit. Laudantur veterum stratagemata, & merito quidem, sunt enim furti pulcer-

GRATULATORIA

pulcerrimæ gloriæ, secūdum Thucydidem. At ea calliditate & fraude magis perficiuntur quàm manu. Cuiusmodi illud fuit, cum Zopyrus, præcis naribus & auribus, totoq; corpore mirè deformato, ad Babylonios profugit, talem sibi relatam esse à Dario gratiam pro fideli sua opera dictitans. Cui cum fidem habuissent Babylonij, exercitum suum illi crediderunt, & in hostis potestatem venerunt. Callidum & versutum fuit factum, quod benè etiam atq; feliciter euenit. At hæc Maiestatis tuæ victoria, non dolo, non insidijs abstrusis, sed aperto Marte, armis, labore & sudore ingenti, & penè incredibilem parta est. Nec defuit tamen humana industria vt, tametsi vi manuq; extorta est: nihilominus tamen consilio in suscipiendo, celeritate in conficiendo acquisita sit. At quomodo res tanta confecta est? ausu certè ingenti & penè incredibilem, nec minori admodum quàm Laurinum fuit recuperatum, in cuius quidem recuperatione Danubius ita exundarat, vt in pluribus locis ad lumbos vsq; natate coacti sint milites. In Albæ Regalis verò prima aggressione, Rufuormius cum mille Ferentarijs paludes profundas, adeo vt ad Diaphragma penetrarent aquæ, perripit, & alicubi etiam supra collum immersos, nonnullos extrahi necesse fuit. Gestarant autem secū
arun-

O R A T I O .

arundinis manipulos, quibus profundiora loca
replerent, quæ alioqui transiri nullo modo potu-
issent. Vtrobique nocturno tempore res peracta
est, & ad Albam Regalem quidem horas totas no-
uem consumi in transeundis paludibus oportuit.
Nec tamen vllus militum debilitata virtute aut
fracto animo visus est esse. Fuit in hoc numero
militum Vuabacurtus ille, cuius nobilitata est
fortitudo in recuperatione Iaurini, vbi primus
viam aperuit, & in perumpendo cæteris sese con-
iunxit. In primis verò animum attulit generosis
illis militibus aspectus, præsentiaq; Rusuormij,
qui periculi omnis socius fuit, nec laboris quic-
quam vlli militum imposuit, quod ipse non vnà
sustinuit. Ventum est vnà hora ante lucem ad
suburbium, vbi tamen centum non amplius viri
consistere propter limum & cœnum mollius po-
tuerunt. Hi quamuis pauci numero ante lucem
tentandam rem esse arbitrantur. Citius enim
lux eos oppressura videbatur, quàm socij ex cœno
profundo sensim emergentes aduenirent. Cum
igitur in mora etiam parua multum periculi ines-
set, progressi sunt in nomine Dei, & impetu in
stationarios facto, clamoreq; sublato, suburbium
aggressi sunt. Turci tam repentino impetu sta-
tim turbati & conterriti fuerunt, vt in fugam sese
C darent

GRATULATORIA

darent. Hos infecuti Christiani ad arcis portam
vsq; fuderunt, nec plures quàm quinq; aut sex de
suis amiserunt. In paludum verò transitu septem
aut octo interierunt. Vuabacurtus ipse in pede
aliquid detrimenti cepit. Conuenerat autem
inter duces de Mercurio & Rusuormium, vt si-
mul ac ille cognosceret suburbium vnum esse oc-
cupatum, ipse alterum inuaderet: quod etiam fa-
ctum est. Turci porro clamore militum Chri-
stianorū fracti, cum opinarentur, eos ipsa vrbe po-
titos esse, aufugerunt, Christianisq; aditum ad al-
terum etiam suburbium patefecerunt. Hoc mo-
do vtrumq; suburbium occupatum est, inuentæq;
sunt in ijs fulminales machinæ duodecim aut
quindecim. Sic vna nocte & breui tempore plus ef-
fectum est industria paucorum militum genero-
forum, per itinera deuia, per paludes perrumpen-
tium, nec vel noctem infidam, vel hostem feroci-
entē horrentium, quàm alioquin hebdomadibus
aut mensibus fortè compluribus nauari potuisset.
Ventum iam erat ad arcem, in qua Christiani
amplius 400. fuerunt, & commeatus sufficiens.
Multa quoq; in eam Buda erant aduecta, tan-
quam in locum tutiorem, quem minimè obfes-
sum iri pleriq; credebant. Erat autem dies no-
nus septembris, quo primùm obsideri Alba Rega-
lis ce-

O R A T I O.

lis cepta est, die verò 19. eiusdem mensis tormen-
tis bellicis arx verberata est, die sequente duces de
tentanda expugnatione consilium inierunt : &
cum Turcos in ea timore percussos esse intellexif-
sent, ab vna parte impressionem fecit Altheimus,
ab altera Geisbergius Bauarus, mox cum exercitu
toto insecutus est Mercurius. Fermè horam v-
nam cum hoste ignem & lapides iaculante dimi-
catum est, in quo tamen conflictu vltra quinqu-
ginta non occubuerūt Christiani, plures verò vul-
nerati sunt. In arcem vbi ventum est, Begus cum
Turcis fermè septuaginta in locū quendam profu-
git, indeq; vim hostilem propulsauit. Quod ipsum
etiā ab alijs factum est. Postquam verò actum de
se viderunt, puluerem tormentarium passim in
templo, arce, & alijs ædificijs dispersum incende-
runt. Deprehensum est hoc flammæ ardore Turcos
fermè septuaginta, Christianos verò ad triginta
conflagrasse. Arx, templum, ædesq; amplitudine,
specie & dignitate tanta præstantes, vt vix quic-
quam possit esse supra, miserandum in modum
impetu ignis disiectæ sunt. Stat tamen Cathe-
drale templum, vno duntaxat conclauis diruto, ar-
cis verò ædes omnes exustæ sunt : reliqua ferè in-
tacta inuiolataq; manserunt. Turcorum ad pugna
expeditorum fermè quingenti fuerunt inuenti, sed
C 2 ampli-

GRATULATORIA

amplius ter mille vxores & liberi, quorū ferè ducenti vtriusq; sexus vnà cum Bego Iaurinum captiui traducti sunt, reliquos vis martis perculit. Thesauri partim in terra defossi, partim flamma perditum sunt. Equi verò generosi, boues, aliæque pecudes, pannus & id genus alia cum tormentis paucis reperta fuerunt. Hic modus est reparatæ Albæ Regalis, hæc victoria illustris & gloriosa: quæ quantacunq; est, magna certè est, tota tua est, Cæsar Auguste: hanc Deus tibi reseruauit & concessit. Tentabatur iam antè, eiusdem vrbis recuperatio, imperante Ferdinando auo tuo, per Eccium Salmensem comitem, qui cum incolis quibusdam illius vrbis ad liberandum eam conspirarat. Conuenerat enim inter eos, vt tormenta bellica tempore cōstituto partim de propugnaculis abducerentur, partim obstruerentur, ipse verò cū exercitu suo circa vrbem positus in insidijs manè, pecudibus exeuntibus, ex latebris erumperet, portas occuparet, Turcos in præsidijs collocatos inuaderet, vrbeq; clandestino introitu potiretur. Ac parum quidè tum abfuit, quin euentus suscepto consilio respondisset, nisi spe pacis faciendæ ostensa à Solymano Imperator Christianus deceptus fuisset. Ita enim legati Turcici tyranni candidissimumpectus Ferdinandi insidiosus & fucosis suis
pro-

O R A T I O.

promissis complerant, vt pacem certam expectaret. Iecirco edixit serio, ne quid aduersus Turcos moliretur comes, neue causam impediendæ pacis vllam præberet. Ad hunc modum à proposito susceptoq; consilio desistere coactus fuit Eccius comes. Ciues verò, qui cum eo conspirarant, quadraginta, palis affixi pœnas proditionis dederunt. Sic ergo factum est, vt in hunc vsq; annum dilata vrbis tantæ recuperatio in tuum imperium, Cæsar Rudolphe I I, tandem reciderit, illudq; cumulo quodam laudis auxerit. Inijcere etiam tuæ maiestati pacis spem conatus est Turcicus Tyrannus cum superioribus, tum hoc ipso anno: sed tam exemplo maiorum, quàm vsu tractandoq; cognouit maiestas tua, infidam esse penitus gentem illam barbaram, nec pacem aliam, quàm quæ nihil insidiarum habeat, amplectendam esse. Comperit tum etiam memorabili exemplo, non prius pacem simulare Turcos, quàm cum nocere maximè cupiunt. Quod ipsum quoq; Ferdinandus, auus tuus, cum incommodo suo magno didicit, quando pacis prætextu Neapolim Turci occuparunt, & ad Giulam Sigetumq; inuadendum viam munitarunt. Cognouit id quoque Eccius Salmensis comes ex capto quodam primario Turca, Budensis Bassæ consiliario intimo, qui fassus a-

C. 3. pertè

GRATULATORIA

pertè fuit, pacem istam, per summam fraudem & malitiam à Turcis esse confictam. Et vt maximè pacem det atq; confirmet etiam Turca, non tamè absq; insidijs dat, & simul ac lædendi occasionem adipiscitur, absq; pudore ac religione omni eam effringit ac violat. Nisi fortè tunc quidem ab eo fidem seruata esse dixerimus, cum Maximilianus II, legatione Constantinopolim missa, pacem cum Selymo, promisso tributo annuo fecit. Neq; id tamen sine insidijs factum est. Ideò enim tam cupidè delatã ad se pacem Selymus ille amplexus est, vt rebelles, qui in Arabia & alijs regionib. ab eo defecerant, comprimeret. Iure igitur laudatur sapiens tuæ maiestatis diffidentia, quæ blandas illecebras barbarorum aspernatur, & pacem expetentes audiendos quidem curat, sed interim nihil credit, & omnia cauet. Quæ quidem prudentia & grauitas, cum diuinæ benignitatis donū sit maximum: ei in primis acceptum referimus, quicquid hoc est felicitatis, quod recuperata Alba Regali nobis contigit. Tum tuæ etiam maiestati gratias agimus & habemus, quantas animi nostri capere possunt maximas. Nunc demū experimur, quantam vim habeat illud, quod Cicero dixit, omnia desiderata bona magis quàm assiduò percepta delectare. Caruit Christiana Respub. Alba Regali

O R A T I O.

Regali ad annos quinquaginta octo, quibus ea
misera, & afflicta, tanquam à corpore suo auulsū
membrum iacuit, oppressa tyrannide & immani-
tate Turcica, sine libertatis vsura, sine religionis
cura, sine legum præsidio. Quæ pro vero Deo &
filio eius Iesu Christo seruatore vnico, Mahome-
tum spurcissimum & impurissimum impostorem
coluit, templa profanari & omnia inquinari vidit,
nec ab ea vllum facinus, vlla libido, vlla turpitude
aliena fuit. Captiui in ea fuerunt quadringenti
amplius, plures mulieres & liberi, qui suo gemitu
& eiulatu cœlum repleuerunt, & ab impijs Maho-
metistis pati contumelias, iniurias, famem coacti
sunt. Hi mentem & oculos identidem ad Deum
retulerunt, ab eoque opem, solatium & liberatio-
nem petiuerunt. At nondum hac victoria con-
fectum bellum fuit, sed dubia adhuc fortuna ste-
tit. Tantum enim dolorem hostibus inussit hæc
urbis tantæ iactura, vt ad recuperandam illam o-
mnes vires, cunctas opes contulerint. Accurre-
runt infestis animis & armis Serdar, Iemischisi,
Hassan Bassa, Mehemet Tihaiia Bassa, qui per bi-
ennium totius belli aduersus christianos modera-
tor fuit, Beglerbegus, item græciæ, Merath Bassa
Budensis, & Bassa Bosnensis cum exercitu penè
centies mille virorum. Aduenerat autem ad xxvi.
Septemb.

GRATULATORIA

Septemb. Iaurino archidux Austriae Matthias castraque interuallo non magno ab vrbe Regali locant. Turcicae vero copiae die Octobris 1 x. appropinquantes duobus locis caesarianorum castris sua opposuerunt castra. Erant autem caesarianorum castra loco opportuno sita, ad montem ab vno latere, & mediocriter ab omni parte munita. Mox eodem die post meridiem ad velitarem pugnam caesariani prouocantur: qui cum praesto essent, Turci eo die digredi longius noluerunt: sequente tamen die, qui X. fuit octob. magno numero progressi sunt. His vt occurreretur, dux Matthias equites misit ad velitandum duntaxat, non ad excurrendum longius. At hi progressi vsque adeo sunt, vt semipraelium cum hostibus committere visi sint. Etsi autem Matthias conspecta tali pugna, sclopetarios subsidio equitibus misit: tamen detrimenti aliquid caesariani acceperunt. Nihilominus tamen irruentem in suum exercitum hostem repulerunt, & terga dare coegerunt. Cumque hostis in campo nullus appareret amplius, reuersi sunt & ipsi in castra, quamuis sero. Acta haec fuerunt vsq; ad XIII. octob. Interim vero ex hostium castris profugi nonnulli facti, certo nunciauerunt, hostem decreuisse locis quatuor caesarianos in castris adoriri. Cumque is fama
& au-

O R A T I O.

& auditione accepisset, cæsarianos non supra viginti millia in exercitu suo habere virorum, velle se dixisse fertur Serdar, vna impressione & quidem trium horarum spacio, cæsarianos omnes euertere atq; delere. Proinde eo ipso die circa meridiem omnibus viribus exercitum eorum vndiq; cinxit tormentis, quorum nonnulla subsidij causa in montem mediocriter in longitudine extentum opinione celerius subduxerat, & in castra cæsarianorum direxerat: sed sine detrimento tamen eorum displosit. Cæsariani vicissim suas in eum exonerarunt machinas. Eo tum deuentum fuit, vt hostis sublato clamore horribili inuasurus cæsarianos videretur. Ipsi vicissim militari præsidio loca ea, quibus impressionem facturum videbatur hostis, munierunt. Post habito ex tempore cum ductoribus militaribus consilio, in eam sententiam itum est, melius esse strenuè pugnando mortem oppetere, quàm hostium crudelissimorum impetum expectare, & miserandum in modum mactari. Mox ergo conuersi in hostem, diuino freti auxilio, tanta vi & impressione irruerunt, vt retrò cedere ille ceperit. Displosis verò tormentis in eos, qui montem occupant, quorum aliquot millia fuerunt, certatim & ipsi, monte cum quibusdam tormentis relicto, aufugerunt. Matthias
D verò

GRATVLATORIA

verò cum videret partem Turcorum & Tartororū inuadere velle cæsarianos à latere, accurrit cum prætoriam suam cohortem: & cum à tergo haberet suos sclopetarios, eorum partem prope Syluam aduersus illos misit, & vim vi repulit. Ita ignem & fulmina spirans hostis, non solum repulsus est, sed eò compulsus etiam, vt fugæ se mandarit, & machinas fulminales decem post se reliquerit, quæ in cæsarianorum potestatem venerunt. Serdar ipse in hoc conflictu sauciatus est, & in tertium equum sublatus vix euasit cum ignominia, Christianorum verò pauci perierunt.

Placuit dehinc cæsarianis die xiv eiusdem mensis transferre castra in locum latè patentem, ad piscinas muscosas & vineas. Iccirco instructa acie profecti sunt, sed cum hostis iterum diuersis in locis copias suas eduxisset, attingere locum destinatum non potuerunt, sed montem mediocri altitudine & latitudine occuparunt, in quo dispositus exercitus in acie stetit. Impedimenta verò in valle montibus tanquam sepimento clausa vallârunt, eoq; die in noctem vsq; hostem ferociter laceffentem leuioribus prælijs & tormentis propulsârunt, tandemq; re infecta in castra ille redijt. Cæsariani verò tota illa nocte in monte & quidem in acie, equites pariter & pedites in sequentem lunæ vsq;

O R A T I O.

næ vsq; diem constiterunt. Tandem verò Matthias cùm intelligeret leuibus prælijs multos de suis copijs exiguis perire, constituit in nomine Dei extremam quasi aleam belli experiri, & ad manus ac prælium iustum cum hoste venire. Idcirco ante lucem ad locum propè montes ad dextram profectus, præoccupandum illum comœtus causa curauit. Ipse verò acie instructa ad sinistram cum exercitu deflexit. Interim cum hoste; qui & ipse in acie stabat, cæsarianosq; carpebat, alsidue velitandum fuit, donec repulsis Tartaris sine intermissione vim intentantibus eo peruentū est, vbi minus aliquanto periculi esset. Tunc progressi in campum, acieq; instructa ad præliandum sese paratos ostenderunt Cæsariani. Hostis verò cum copijs selectissimis, quas Mehemet Tihaiia Bassa ducebat, ad dextram, vbi vngari erant collocati, equites pariter & pedites, cæsarianos adortus est. Hi verò parùm constantes iam iam cedere volebant, sed subsidio venerunt illis Dux Mercurius, Rusuormius, & comes de turre cum equitibus suis. Hi confertim hostem aggressi, non solum in fugam coniecerunt illum, sed etiam duces summos Tihaiam & Budensem Bassam cum octo Zanflagbegis & alijs turcis primarijs cæciderunt. Cum reliquis Turcis, inter quos Ianitzari fuerunt



GRATVLATORIA

totum diem ab hora viii. in noctem vsq; velitatus est Bernhardus princeps Anhaltinus, & Breuneriana legio: quibus tamen subsidio venerunt alij, nec pauci de hostium numero cæsi sunt: eoq; res iam adducta erat, vt etiam archiducis ipsius cohors ad corporis custodiam data descendere in certamen coacta sit: quæ etiam fortiter dimicando laudis multum reportauit. Hic conflictus, qui pugnae iustæ haud dissimilis erat, integrum durauit diem. Iusto enim prælio cum cæsarianis contendere non ausi fuerunt Turci, quanquam numero longè superiores. Amisis igitur tot primarijs Baisis & Begis, vulnerato etiam ipso Serdare, qui propterea à prælio abstinebat, à conatu irrito recuperandæ Albæ destiterunt. Incidit etiam tempestas imbrium & ventorum cum niue & frigore coniuncta, quæ tentoria multa disiecit & labefactauit. Multi etiam milites miserè interierunt. Etsi igitur spe magna potiundæ vrbis, profligandorumq; cæsarianorum incēsi illi fuerunt: tamen cum nauare & efficere nihil possent, Budam, vnde venerant, reuersi sunt. Discedentes insecutus est, Colonizius cum parte copiarum, vt quo sese verterent illi rectius cognosceret. Hunc vt, vidit Agaquidam Budensis primarius, fide vtrinq; data & accepta, sic eum allocutus est: Satis fortitudinem
vestram,

O R A T I O .

vestram, vos germani, in hoc bello declarastis, dum Albam Regalem nobis penè inspectantibus eripuistis: pulcerrimum factum, cuiusmodi hoc toto bello, quod vobiscum gerimus vix deprehendi. Gratulor ergò vobis de tanta victoria hoc anno parta, sed date operam, vt sequente anno, eadem animi magnitudine & robore pugnetis. Redituri enim sumus multo maioribus copijs instructi, & tam Albam quàm Strigonium recuperaturi,

Sic per tuum exercitum, Rudolphe II, recuperata est hæc festiuissima vrbs, & in libertatem vindicata. Quod beneficium post Deum immortalem tuæ maiestati acceptum referimus. Meritò igitur amplissimis & singularibus verbis maiorem in modum tibi gratias agimus. Agnoscimus enim & animis lubentibus profitemur, tuo consilio, tuo ductu, tua industria, cura & vigilantia & susceptam esse hanc expeditionem, & feliciter etiam adiuuante Deo ad exitum adductam. Redijt iam quasi postliminij iure ad tuum imperium Augusta illa & regia vrbs: te nunc agnoscit dominum, te recepit patronum, tuo præsidio tutam tranquillamq; in reliquum tempus pacem expectat. Post maiestatem tuam, pro eo ac merentur gratiam nos debere immortalem profite-

GRATVLATORIA

mur principibus imperij, cū alijs compluribus, tū vel inprimis Illustrissimis Saxoniae ducibus, qui consilio, re, opera & impensis conatus gloriosos maiestatis tuæ adiuuerunt, nec quicquam prætermiserunt, quod ad continuandum bellum aduersus Turcos pertinere hæctenus visum fuit. Tutelæ nomine Electoratum Saxoniae administravit Fredericus Guilhelmus Saxoniae Dux, quem vidimus socium curarum & consiliorum tuorum fidum, constantem, grauem: quo vno non tantum niti, sed etiam lætari tua maiestas, non mediocriter visa est. Nunc verò Electoratus gubernationem quasi quasdam habenas moderatur verus & legitimus hæres, Christianus II, de quo omnia summa nos subditi nobis pollicemur. Tua verò maiestas Achatem illum suum meritò agnoscit, & in fide, autoritate, constantia & industria eius acquiescit. Accidit autem bono auspicio, vt eo ipso tempore, quo is Septemuiratus amplissimum munus, pro ætatis ratione suscepit, Alba Regalis recuperata sit. Fausta profectò & optata omnibus modis conspiratio inaugurationis Saxonici Electoris, & occupationis Albæ Regalis. Nempe exhilarare Deus voluit maiestatem tuā, & exornare simul & quasi consecrare gubernationem tuam Christiane II, Elector: vt quærentibus vel nostris
hominibus

O R A T I O.

hominibus, vel alijs, quo tempore aut anno, aut mense Alba Regalis recepta sit, responderi possit, eodem anno & mense, quo Christianus II, Saxonix Electoratum gubernare cepit. Et vicissim interrogantib, quando Christianus I, Electoratum Saxonix gerendum susceperit, respondeatur, cum Alba Regalis sub imperium, ditionemque Rudolphi II recidit. Diuinitus hoc credo factum esse, vt notabili hoc & commemorabili facto receptæ Albæ, tuus Electoratus, Christiane I I, inauguraretur, & tui nominis memoria simul, cum victoria illa clarissima consecraretur. Vt autem omne principium rei totius, quæ agitur, significationem habere solet: sic hoc lætum initium tui Electoratus denuntiare progressum & euentum prosperum ac salutarem videtur. Qui vt nostris optatis respondeat, vota facere non desistemus. Coniuncta enim est salus tua cum totius imperij salute, nec potest Reip. Christiani autoritas & dignitas integra aut salua esse, nisi Saxonici ducatus decus conseruetur. Fridericus Barbarossa primum Austriæ ducem Henricum à se creatum in diplomate vocauit Clypeum & eor Sacri Rom. Imperij. Quo elogio haud scio an quicquam cogitari possit amplius, augustius & splendidius. Sed non minus honorifica est appellatio dexteræ
impe-

GRATVLATORIA

imperij, quæ in quodam diplomate tribuitur Alberto Saxonix duci: Ex quo apparet iam olim etiam tantam fuisse auctoritatem domus Austriacæ & Saxonicæ, vt viribus earum nixum sit Rom imperium. Et ne nunc quidem labefactata est virtus vtriusq; domus, sed pristinum robur ac firmitas eius ad hoc vsq; tempus durat. Manet etiam Dei beneficio eadem coniunctio, fides & constantia quæ fuit inter Imperatores, quos Austriaca domus protulit, & Saxonix Duces, quos Misnia genuit. Friderico III, imperatori fidelem & strenuam operam nauauit Albertus III, Saxonix Dux ad Nouesium contra Carolum Burgundum. In quo quidem bello præfectus Albertus decumano vexillo, animosi ducis cognomen & decus deportauit. Idem suscepta in Austriam expeditione Matthiam Vngariæ regē in tantas angustias adduxit, vt quamuis militum numero superior ille esset: tamen amplecti pacis condiciones oblatas coactus sit. Quo quidem in bello adiunt Matthiam esse fassum, se, nisi Albertus obstitisset, castra in media Germania locaturum fuisse. Exemplis pluribus in re manifesta non est opus, ex his autem paucis intelligi satis potest, quàm firma & fidelis societas atque coniunctio inter Austriacos imperatores & Saxonix duces fuerit.

Nec

O R A T I O.

Nec desunt exempla fidelitatis summæ inter Boëmicam & Saxoniam domos, quæ in hunc usque diem sancta inuiolataque permanet. Declarata est ea, & adhuc declaratur decennali penè bello isto, quod cum Turcis tanta contentione tantisque opibus geritur. Hoc tu, Imperator Rudolphe II. animo inuicto tot annos tantisque sumptibus sustines: quod ante te imperatorum nullus factitauit. Quemadmodum autem Fridericum Guilhelmum Saxoniam ducem, Electoratusque administratorem socium curarum, consiliorumque in hoc difficili & diuturno bello sensisti grauem atque constantem: Sic deinceps etiam habiturus es consortem gloriosissimi laboris Christianum II, qui à maiorum suorum curriculo non latum unguem deflectit, sed cum maiestate tua, curam & administrationem tanti belli communem sibi esse arbitratur. Et quidem iam tum ab adolescentia documenta præclara dedit, quàm fidus Achates tuæ maiestati sit futurus. Declarauit hoc ipsum in maiestatem tuam studium, dum grandia duo tormenta bellica tuæ maiestati cum rebus omnibus ad dispositionem necessarijs nuper per Ioannem Georgium Gödelmanum, consiliarium & legatum suum donauit, addita hac epigraphe: DEO & imperatori suo, Rudolpho secundo, pio, foelici, victorioso,
E patri

GRATULATORIA

patri patriæ dono dedit Christianus secundus, Elector Saxonie. Quo quidem dono tua maiestas sic lætata est, vt non munus solùm amplexa sit, charumq; habuerit, sed donantem etiam principem, & imperatorem suum ita agnoscentem atq; venerantem amore fideq; perpetua sibi deuinctum iudicarit. Tua maiestas vicissim amorem beneuolentiamq; suam summam largè liberaliterq; in Christianum II. singulari, & nouo penè exemplo ostendit, dum missis legatis suis, Maximiliano Barone à Lichtenstein, & pernobili domino à Neuhusen, ei de suscepta Electoratus paterni gubernatione gratulata est, & successum felicem salutaremq; à DEO immortalis precata. Post maiestatem tuam Matthias frater, Archidux Austriae, maiestatis tuæ legatus in bello Turcico non quiescendum sibi esse arbitratus est, nisi & ipse, quanti faceret Christianum II., & quanto peius eius nouo isto amplissimi Electoratus Saxonie honore gauderet, demonstrasset. Itaque missus ab eo legatus Ernestus Baro à Molar, cæsareæ maiestatis in Austria præses vicarius cum alijs præclarissimis viris ei prospera, & salutaria cuncta à Deo summo optauit. Tali igitur & tanto socio & propinquo freta atq; munita maiestas tua, nullã vim hostilem gentis Turcicæ pertimescet, nullum pericu-

GRATVLAT. ORAT.

runt? Bona igitur spes est, Turcorum quoq; distractionibus, bellis & tumultibus intestinis atq; domesticis Vngariam ad tuam maiestatem, legitimum dominum, redituram esse. Vtinam verò mentes & voluntates principum imperij Rom. ita consentiant, vt coniunctis viribus hostem communem à patriæ finibus arcere omni contentione, cunctisq; opibus nitantur. Maximè verò vt voluntatum, studiorum & consiliorum Rudolphi. II, & Christiani II, consensio fixa & in perpetuum rata sit, à Deo immortali supplices petimus.

F I N I S.



Gb 777. I

800

ULB Halle 3
001 618 563


Sb.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

VDT

104

In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



nomis sub tanta vniuersalitate
solentur reuocantur de regione
quonia. **H**odie cadet pulcherrima
filia populi sui & omni patris obliu
scitama sancti spiritus micata sed igne
materiali consumata. **H**ierem cor dicit
ad fidem inclinauerat sed iam in
perguntando deitros amplexus v
deat qd respicit eius concupierat
in illa iunamur & filia audierat
quia celestis pater illa vt reuerret
in uocauerat **S**ancto igitur narcho
in predicante factum ad mensam pa
tris redit. **E**t cum illum cui male
adheret deseruit. **E**t que centum ca
dos olei dno suo redere debuit.
Accpta cautione sacramentorum
scribit sibi quinque & promeruit
esse illa **S**ic multi in retroactis era
ribus redire a suis erratibus. **S**ic ma
na magdalena sic mulier illa chana
neq. per postq. xpm negauerat
redit. **E**t paulus xpi uoce pstrat
reliquit. **M**arthe a theloneo ipius
pris redit p conio. **E**t sacheu lico

Cus qui hunc di
nati uerbum transt
cruq. ad eum missa
is uoce coniecta:
mus: ut dumis pati
ant formari: qui bec
uoriam fieri precepit
is dominus noster
Hic martiris offi
cipit. **F**olla.
peccauerunt. **F**olla.
illa tuam quoniam
supplente p picius
que te impudice de
tatis maria ma
de locarumq. eius
saltequatur.
Donati martiris
Vna condicione



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



III

Ad
PHVM II.

OREM ROM.
em, victoriosum;

TIANVM II.
VCEM, IMPERII
chall. & Septemvirum;

I A M Austriae Archidu-
reae Maiestati Legatum
lo Turcico;

recuperata Alba Regali,
ademia Lipsica à
O DRESSERO.



o 2.

OB I AP E L I I.

89

A.

3. d.

